Fragmentarium

in ludo et in ioco, in theatricis nugis, in affectandis et apprehendendis ruinosis
honoribus. Neque enim vera sunt gaudia in his omnibus, et in his libris nulla sunt. Immo
non anima illa iam transiliens et in his delectata dicat quod verum dicit et secura dicit:
Narraverunt mihi iniusti delectationes, sed non ut lex tua. Veniat adhuc iste
Idithun, transiliat eos qui delectantur imis, et delectetur in his, et gaudeat in verbo
domini, in delectatione legis altissimi. Sed quod dicimus? Ecce hic transiliendum est, et ali-
ud adhuc usque habet quo transiliat, quo transili-
re desiderat. Vocem potius eius audiamus. Iam
enim iste transiliens videte in quo habitat in
eloquiis domini, et ibi dicit hec que audituri sumus.

DIXI · CUSTODIAM · VIAS · MEAS · UT · NON · DELINQUAM · IN · LINGUA · MEA ·

Credas quod legendo, disserendo,
predicando, monendo, obiurgan-
do, hortando conversaretur in opere. Cum exerceretur iam quibusdam difficultatibus
humanis homo agens inter homines, quamvis iam transiliens eos qui non delectantur his, quia
difficile est ut quisque labiis non labatur et peccet, et qui lingua non peccavit, ut scriptum
est, hic perfectus est vir. Aliqua forte penitenda dixerat, et lapsa erant ab ore que
vellet revocare, nec posset. Non enim frustra lingua in udo est, nisi quia facile
labitur. Videns ergo quam esset difficile, ut necessitatem loquendi haberet homo, et loquendo
non aliquid diceret quod dixisse nollet, et tedio affectus ex his peccatis, constituit evi-
tare talia. Patitur hanc difficultatem transiliens; non me iudicet qui non est transi-
liens. Transiliat, et experiatur quod loquor. Tunc enim erit testis, et filius veritatis. Cum ergo
ei hec contigissent, statuerat non loqui, ne aliquid diceret quod locutum esse peniteret.
Hoc indicant prima eius verba: Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in
lingua mea. Custodi ergo vias tuas, o Idithun, et noli delinquere in lingua
tua. Perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, et sic profer

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 704 (9), recto – Augustine of Hippo, Ennarationes in Psalmos (https://fragmentarium.ms/view/page/F-rw6p/8631/65830)